



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus II. An Jus Patronatus sit Spirituale, vel temporale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

mixtum. Et ex hoc inferit, beneficium Juris Patronatus *mixti*, non cadere sub reservationem; & semestre concessum Ecclesiasticis ad præsentandum, non competere Patrono Laico. *Not.* præterea, juxta Vivianum de Jure Patron. l. 1. c. 3. à n. 8. Jus Patronatus esse Ecclesiasticum, quando Ecclesiasticus præsentet, *nominatum à Laico*; & *Laicum*, quando Ecclesiasticus præsentat *de consensu Laici*; non autem, si tantum *de consilio*.

ARTICULUS II.

An Jus Patronatus sit Spirituale, vel temporale?

3060 Quidam dixerunt, esse quid merè temporale 1. quia à Laicis possidetur, c. *consultationibus* h. t. 2. quia prescriptioni subjacet c. *querelam*, de Elect. cum alioquin spiritualia præscribi non possint, nec possideri, c. *causam, qua*, de præscript. 3. quia hereditate transmittitur c. 1. & c. *cum seculum*, de Jure Patron. cum tamen nulla successionis ratio sit in spiritualibus c. 1. & 2. de concess. præbendæ: rectius tamen dicitur, esse aliquid *in se*, ac *formaliter temporale*, *annexivè* autem *spirituale*; Sic Vivianus de jure Patron. l. 1. c. 2. 4. ubi etiam dicit, esse *jus gratiosum*, & communiter regulari, prout alia jura spiritualia, per c. *quanto* 3. de Judic. ubi eloquio Summi Pontificis habetur, jus Patronatus *adeo annexum esse spiritualibus, ut super eo non nisi à Judice Ecclesiastico cognosci possit*, cui manifestè suffragatur, quod jus Patronatus directè emi, vel vendi non possit absque labe, ac vitio Simonia, ut dicemus infra; at, si esset purè temporale, id non contingeret; quia sic emeretur ac venderetur solum temporale. Accedit, quòd directè ordinetur ad institutionem Clerici, tanquam ejus causa, ut dicitur c. *Nobis* h. t. institutio autem est actus jurisdictionis spiritualis, 2. quòd sit initium, & quasi inchoatio negotii spiritualis, intelligendo saltem de initio Ordinis, ut notat Mancinus cit. c. 3. n. 21. Hinc ad rationem simoniae pertinet, quod super eo fuerit civili aliqua pactione contractum, c. *super eo c. præterea*, h. t. & c. *veniens*, de Testibus.

3061 Ad rationes in contrarium, & quidem ad 1. *Re.* non rectè argui *temporalitatem* rei ex eo, quòd à Laico possidea-

tur *ex mera Ecclesia gratia*, & *indulto beneficio*, at sic se habet jus Patronatus à Laico possessum, ut patebit ex seqq. ergo. Ad 2. *Re.* negando, quòd jus Patronatus subjaceat prescriptioni *Laicorum*. Laicus enim non potest præscribere jus Patronatus *contra Ecclesiam liberam*, secus Ecclesiasticus; Iste enim hujus juris *per se* capax est; ille solum per accidens, *ex Ecclesia indulto*. Sic Vivianus cit. l. 1. c. 3. n. 24. neque hoc dicitur in c. *querelam*, de Elect. cum ibi casus propositus inter litigantes, non fuerit inter *Laicum*, & *Ecclesiasticum*; sed inter *Clericos* Ecclesiae S. Agathæ, & *Presbyterum* Ecclesiae S. Salvatoris; quin verbum habeatur de jure Patronatus *prescripto* à populo Ecclesiae S. Salvatoris; quamvis Presbyter electionem suam legitime probaverit exinde, quòd electus sit à populo illius Ecclesiae; qui tunc erat in possessione eligendi Presbyterum ad illam Ecclesiam vacantem; potest autem jus possessionis alicui competere, *sine omni prescriptione*. Neganda etiam venit illa propositio, *quod prescriptioni subjacet, merè temporale est*; nam jus eligendi, jus dicimarum Ecclesiasticarum, jus ferendi censuras, exercendi quosdam actus jurisdictionis Episcopalis, præscribi potest ab Ecclesia, vel Prælato Ecclesiastico contra aliam Ecclesiam, Monasterium, &c. quin propterea tale jus temporale sit. Ad 3. *Re.* similiter non rectè argui, rem aliquam, vel jus esse merè temporale ex eo, *quòd de gratia & mero Ecclesie beneficio* in alium transferri possit; sed quòd jure suo, fundato in titulo merè temporali, prout constabit ex seqq.

ARTICULUS III.

Quibus modis acquiratur Jus Patronatus?

3062 R Esp. à Doctoribus communiter docti, quòd tribus modis; *fundatione, extructione, & dotatione Ecclesie*; sic Gloss. in c. *pie mentis*. 16. q. 7. Azor p. 2. l. 6. c. 19. q. 4. & alii passim; quod verum est; licet non expresseris te fundare, extruere illo animo c. *nobis* 25. de Jure Patron. quia jus illud ab ipso jure Ecclesiastico conceditur, nisi ipse renunties; excipe tamen Ecclesiam regularem, in quam non acquiritur Jus Patronatus solà *fundatione*, extru-